

India. Laicis omnibus, etiam Nobilibus, minime liceat sepulcras in Ecclesiis iure proprio sibi vindicare: cum sepultura sit proprie & mere ius spirituale & Ecclesiasticum. Neque sepulcrum in illis assumere liceat & eligere iuxta vel prope vasis Altare aut sacrarium, quacunq[ue] preterea in contrarium consuetudine vel possessione non obstante, nisi forte sint Episcopi, aut Ecclesiarum Rectores, vel fundatores ipsarum. Nullo autem modo in Ecclesiis sepultura effodiatur, nisi qua non minore quam sex aut quinque pedum spatio a maiore aut digniore Altari distet. Quibus in Ecclesiis neminem sine Rectoris consensu & auctoritate inhumare liceat.

Ex tit. de Jurisdictione. Sacrorum Conciliorum decretis, iurisque communis dispositione cum sit cautum, ne Clericus adversus Clericum habens negotium, Pontificem suum relinquat, & ad secularium iudicem trahat: omnibus Ecclesiasticis, cujuscunque sint dignitatis, status, qualitatis, aut conditionis, ne Clericos saltem in sacris Ordinibus constitutos in actionibus, quarum cognitio, & iudicium fori est Ecclesiasticum, relicto proprio Episcopo ad iudices seculares trahat, sub pena anathematis prohibemus: cui eos ipso iure & facto subiacere declaramus, alii a iure statutis penis nihilominus puniendos. Ipsos etiam Ecclesiasticos, qui volentes iisdem in causis secularia iudicia subirent, similem penam incurere decernentes: cum hoc beneficium, non persona, sed universo Ecclesiastico Ordini publico iure sit indultum, cui Clerici renuntiare non valeant. Eodem spectat Chalcedonensis œcumenicæ Synodi can. 9.

5. Indidem. Certissimi juris cum sit, matrimoniales causas omnes fori esse Ecclesiasticæ: ideoque earum cognitionem ac decisionem iudicibus laicis a sacris Canonibus omnino esse interdicitam, omnibus praterquam Episcopis eorumque Officialibus, de iis earumque appendicibus & circumstantiis, veluti si de conjugalî adhesionem sit questio, cognoscere & decidere sub anathematis pena prohibemus; Cum attestante Apostolo Ephes. 5. Christianorum matrimonium sit magnum in Christo & Ecclesia Sacramentum, nemo Catholicus ambigit esse jurisdictioni Ecclesiasticæ reservatum non solum in sui substantia, sed etiam in preparatoris mere spiritualibus, quales sunt desponsationes ac futurarum nuptiarum mutua promissiones.

Concilium etiam Tridentinum anathemate damnat, si quis alteri quam Ecclesiastico tribunali iudicium de matrimonii validitate aut invaliditate ausit ascribere: fess. 24. can. 12.

CONCILIUM BITURICENSE

Anni 1584.

Avaricum, quod vulgari nomine Bourges dicitur, insignis oppidum Biturigum fuit, cuius multa sit mentio apud Cæsarem in bello Gallico: ejus vero Ecclesia ab antiquo illustri fuit, quippe cui annexa erat Primatia in tres Aquitanicæ provincias dignitas: in secundam, cuius Metropolis est Burdigala, amplissima & potentissima civitas: & in tertiam Aquitanicam, cuius Metropolis est Aquisgranensis Archiepiscopatus: primæ autem Aquitanicæ Metropolis est ipsamet Biturica seu Avaricum. Circa annum 1215. aut 1216. refert Innocentius Papa III. lib. 3. epist. 128. ab Archiepiscopo Bituricensi fuisse suspensum Episcopum Burdigalensem ab officio Metropolitanæ hac de causa, quia cum Bituricensis Primas Concilium subditarum sibi provinciarum indixisset, & subditos sibi Metropolitanos una cum illorum Suffraganeis ad illud vocasset, Burdigalensis Metropolitana neque per se accedere, neque alium vice sua ad eam Synodum delegare dignatus esset. Ea de re admonitus Pontifex Innocentius III. scripsit ad Bituricensem litteras, declarans se per auctoritatem Apostolicam suspensionem ab eodem Bituricensi adversus Burdigalensem latam confirmare, nisi malit Burdigalensis Archiepiscopus per seipsum, aut alium idoneam vice sua virum ad Bituricensem accedere, ab eoque humiliter relaxationem pœnalis hujus suspensionis petere simulque polliceri se posthac ab eodem vocatum iussu ipsius pariturum & accessurum. Hac Innocentii epistola habetur lib. 3. num. 128. Idem postmodum Innocentius alteram scripsit ad Episcopos per Burdigalensem provinciam constitutos epistolam, lib. 4. epist. 65. qua declarat se revocasse suspensionem a Bituricensi Antistite Burdigalensis indictam, hac tamen conditione, factaque ab ipso Burdigalensi promissione, quando a Bituricensi vocabitur, ad ipsum accessurum.

I. Tit. I. De adorando Deo. Præceptor & Dominus no-

ster Ecclesiam universam in persona mulieris Samaritana docens admonet, spiritum esse Deum & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportere adorare. In spiritu quidem adorant, qui mentis affectu Deum colunt. In veritate, qui cultu exteriori & piis operibus mentis affectum sincerum testantur & exprimunt. Perfecta igitur adoratio est, cum anima simul & corpore divino obsequio mancipamur.

Tit. V. De invocatione Sanctorum. Prohibetur populari profana Sodalitas, & comestiones, choreas, tripudia, larvas, & theatrales ludos diebus festis exercere: pompas instrumentorum musicorum & tympanorum in gestationibus Imaginum per vias & compita exhibere: & si quid aliud olim Sanctorum invocationibus adversarii ansam malecedendi præbuit. A canopis abstinere, nihil nisi quod pietatem redoleat, exerceant. Imitentur Christiani totis hisce diebus Sanctos illos, quorum memoriam colunt, per opera caritatis.

Tit. IX. De Ecclesiis. Curabunt custodes Ecclesiarum, ne mendici per Ecclesias vagentur, aut chorum introeant prætextu elemosinae petende, divini Officii vel concionis tempore; sed in foribus Ecclesiarum elemosinas expectent.

Tit. X. De Reliquiis. Reliquia non offerantur extra capsam: sed cum honore & reverentia serventur.

œcumenicæ Lateranensis Concilium IV. can. 62. ita fecit. Statuimus, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam non ostendantur, neque exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publice venerari presumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbate.

Tit. XVI. De Coemeteriis. Coemeteria ad sepelienda Christianorum corpora per Episcopos iuxta Ecclesias, aut alio idoneo loco benedicantur, & in profanis locis discernantur: & que olim muris cincta fuerant, in pristinum statum restituantur. Non parent brutis animalibus, neque explicandis profanis linteaminibus, aut aliis hujusmodi usibus. In iis mundicie non fiant, neque alia venalia exponantur.

Indidem. Si testator se alibi quam in parochia sua sepeliri mandaverit, Parochus e domo defuncti corpus educendi jus habeat, & in Ecclesia, in qua sepultura electa est, dimittat: salvo tamen ipsius Parochi iure, tum in Quarta fuerit, tum in aliis, que iure, consuetudine, aut dispositione testatoris illi debentur. Si contra hanc constitutionem Regulares aut alii Ecclesiastici fecerint, ea que de causa tumultus excitaverint, penis juris coercerantur.

Indidem. In quibus Ecclesiis plura & varia Anni-versaria constituta sunt, ita ut ad ea celebranda tempus sufficere non possit, absque diminutione divini quotidiani Officii, statuit hæc Synodus, ut Episcopi auctoritate ejusmodi Anni-versaria ad certum modum reducantur, & certis diebus celebranda præscribantur, commemoratione tamen semper habita eorum, qui legata & Anni-versaria reliquerint.

Ex iisdem & similibus causis Concilium Trident. Militarum reductionem Episcoporum & Generalium Ordinum religioni & prudentiæ sive in Synodo Diœcesana, sive in generalibus Capitulis commisit, fess. 25. de reformatione. cap. 4.

3. Indidem. Non alius erigantur tumuli aut sepulcra defunctorum in Ecclesiis, quæ choro præsertim, nisi forte Prælatorum, Regum, & Principum. Ceteris vero id non liceat sine auctoritate Episcopi cum causa cognitione.

Concilium Mediolanense quartum tit. 13. de Sepulchris edicit: Sepulcra e solo Ecclesia nullo modo extant sive emineant, sed illud plano aequant. Et Concilium Remense sub Ludovico a Gâsta Cardinali, titul. de Sepulchris c. 8. Nec liceat tumulos ipsa humo altiores erigere, nec ibi cuiquam statuas aut vexilla militaria vel trophæa ponere.

Tit. XXV. De Clericis. Clericos ex nomine suo summi ordinem agnoscere æquum est, qui pro sorte & hereditate Dominum elegerunt, abjecto mundo & despectis Satana pompis; profitentur enim hæc Davidicum: Dominus pars hereditatis meæ.

Huius Synodali monito aptissime convenit locus Hieronymi ad Nepotianum: Clericus (inquit) qui Christi servit Ecclesia, interpretetur nomen suum, & vocabuli definitione prolata nitatur esse quod dicitur; si enim x̄p̄os Græce, Larine fors appellatur, propterea vocantur Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Dominus fors, id est, pars illorum est. Qui autem vel ipse pari Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut vel ipse possideat Dominum, vel possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere debet. Quod si quis

6. Iis, qui summi munus perspicere & exequi per se non possunt, substituat Episcopus idoneos Vicarios.

Concilium Trident. fess. 21. cap. 6. Episcopis injungit, ut Parochis imperitis & illitteratis, si alias honeste vitæ sint, Coadjutores aut vicarios pro tempore deputent, partemque fructuum eidem pro sufficienti victu assignent, aut aliter provideant, quacunq[ue] appellatione aut exemptione remota. Eos vero, qui turpiter vivunt & scandalose, postquam præmoniti fuerint, coercere ac castigant: & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis juxta sanctorum Canonum constitutiones, exemptione & appellatione quacunq[ue] remota, privandi facultatem habeant. His vetera jura concordant e. illitteratos, dist. 36. c. nisi cum pridem, de renuncia. c. cum ex eo, de elect. in 6. Concil. Toletanum VIII. c. 3. & c. quia frater, 7. qu. 1.

Si qui Parochi domos non habebunt, curent Episcopi, ut parochianorum expensis extruantur.

Tit. de Beneficiis. Beneficia curata in simplicia non convertantur. Conformatur Tridentino fess. 25. cap. 16. de reform.

Indidem. Cum damnet Scriptura eos, qui hereditate possidere attentant Sanctorum Dei, vetat hæc Synodus, ne quis deinceps consanguineo beneficio cedat solius consanguinitatis ratione: neve hujusmodi cessiones admittantur contra constitutionem Pii V. de non admittendis resignationibus.

7. Tit. de Monasteriis. Religiose vitæ duplex genus Christus Dominus docuit, unum Anachoreticæ, dum solitarius in deserto oravit, jejunavit, & tentatus est: in quo præcursores habuit Joannem Baptistam & Heliam: alterum Cœnoboticæ, dum nec ipse divitiis sæculi abundare voluit, nec Apostolos, nisi qui his renuocarent, admisit, & communi victu illis usus est: docens eos patri & matri renunciandum, & omnibus que in potestate eorum erant ad sectandam pietatem & religionem, quod perfectioris Christianæ est. Hanc Sanctitatem sibi proposuerant imitandam Anachoretæ, & religiosi Cœnobotæ, quorum sanctis institutis, doctrinis, & exemplis, miraculifque Ecclesia claruit.

Veteres Ecclesiæ Patres non plura duobus agnoscerunt Religiosorum genera supra recensita, unum Anachoretarum seu Eremitarum; alterum Cœnobotarum, sive in commune viventium. Ita enim docet Hieronymus in epist. ad Eustochium de Virginitate, Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. & Cassianus collat. 18. c. 4. Et sicubi commemorant alterum aliquid genus religionem exterius profitentium, non aliter meminerunt quam reprobando supernumeraria illa instituta, tamquam relaxationes & corruptiones vitæ religiose advertentes. Errat itaque Ildorus lib. 2. de divinis Officiis, cap. 15. ubi tria designat Monachorum genera, Eremitas, Anachoretas & Cœnobotas: sunt enim unum & idem Anachoretæ & Eremitæ.

Indidem. Qui religionis votum emisserint, nihil proprium possideant, & omnia vota sua fideliter custodiant, vivant communi victu, communibus impensis, communi mensa, eodem dormitorio utantur. Fiatque in eorum mensa sacra Scriptura lectio: neque discedant a Monasterio sine Prioris licentia & habitu monachali.

Sumpta hæc sunt ex Tridentinæ fess. 25. c. 1. 2. 4. in decreto de Regularibus.

Indidem. Monasteria ad omnia festa sua Diœceseos celebranda adigantur. Trident. ibid. cap. 12.

Indidem. Non liceat Religiosis aut Monachis novitios in sua monasteria introducere, aut de officio providere, sed id totum Abbati aut ejus Vicario relinquatur. Qui secus fecerint, nulla earum receptionis ratio habeatur.

Indidem. In monasteriis quibuscunque divina Officia celebrentur horis a Regula præscriptis.

Indidem. Monachi cujuscunque Ordinis, etiam Mendicantium, qui professionis votum emisserint, & tamen adhuc extra monasteria degunt, ad illa statim redire cogantur. Si neglexerint post monitionem Episcopi, aut Superioris, excommunicentur: & si opus fuerit, extraordinarie puniantur.

Chalcedonensis Synodi can. 4. Monachos temere in urbibus circumcurantes pena excommunicationis reprimat. Cui consonat can. 42. Synodi Quinisextæ, coerceri jubens ab Episcopis Eremitas subjectionis jugo solutos & vagos. Innocent. Papa III. edicit, ut Episcopi penis Ecclesiasticis compellant ad residendum intra monasteria vacantes Monachos, si admonitis Abbas hac in re negligat officium: c. quanto, de offic. judic. ordin. Concilium

Ee 3 pari-

si quid aliud plane habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, ver. grat. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus Dominus, pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari serviens altaris oblatione sustentor, habens victum & vestiturum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Ita Hieronymus, & allegatur in Decreto c. Clericus, 12. qu. 1. sed & aliam istius vocabuli notionem & originem nobis suppeditat Augustinus comment. in Psalm. 67. Exurgat Deus: qui totus de Ecclesia Dei propheticus est: Clericos, inquit, hinc appellatos puto eos, qui sunt in Ecclesiasticis ministris gradibus ordinati, quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legitur ordinatum. Augustinum autem ab Ildoro designari crediderim, dum in libro officiorum Cleros & Clericos ab auctoribus nostris inde deduci asserit, quia Mathias, quem primum scimus ab Apostolis ordinatum, sorte fuit electus. Pergitque ibid. Augustinus, hereditatem dici a Græcis κληρονομία, hæredemque κληρονομος. Clericis porro tamquam celestium rerum heredibus & administris addici utrumque Testamentum, vetus & novum, ut in meditatione & exercitatione paginarum sacrarum gemini Testamenti conquirent, & per eos Ecclesia Dei quasi columba pennis deargentatis auroque fulgentibus in Deum assurgat per fidei doctrinamque veritatem, asserente Rege Propheta Psalm. 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum purgatum scriptum; perque vigorem & ardorem caritatis, que Apoc. 3. Aurum ignitum denominatur. Atque ita locum hunc Psalmi 67. V. 14. Si dormitis inter medios clericos, penne columbe deargentata, &c. elucidat Augustinus.

Indidem. Quicumque sacris initiati sunt, aut beneficia etiam simplicia obtinent, eo vestitu æque habitu corporis utantur, quo suum Ordinem testentur.

Vide Concilium Carthaginense IV. can. 44. Clericus neque comam alat, nec barbam. Item can. 45. Clericus professionem suam & in habitu & in incessu probet: & nec vestibus nec calcamentis decorem querat. Et can. 46. Clericus cum mulieribus extraneis non habitet.

Clerici omnes tonsuram gerant, crines calamistratos & recortos non habeant, vestibus talaribus utantur, ita ut manicas non humeris dependentes, nec dissectas, sed brachiis indutas habeant. Sericis indumentis, aliteriusve quam nigri coloris omnes Ecclesiastici abstineant, iis exceptis, quibus ratione dignitatis concessum est. Pileum Quadratum sive birretum semper gerant in Ecclesia & extra Ecclesiam, nisi quoties cali injuriâ urgebit. Denique tale temperamentum in universo corporis cultu adhibeant, ut fortes æque ac immoderatam elegantiam vitent.

Tit. de Sacerdotibus. Clerici, qui ab Episcopo in servorum Dei numerum adscribuntur, mundo & pompis ejus abrenunciant; multo magis decet Sacerdotes qui altiora tractant, Sacramenta Domini & Ecclesiæ ministrant, mentes a mundo & iis que sunt mundi, omnino abdicare. In hunc enim finem Christus Dominus Apostolos de mundo non esse dixit, Joan. 15. cum tamen eos de mundo elegisset. Idcirco, ne ad terrena desideria revertantur, qui semel facti sunt Sacerdotes.

Indidem. Nullus peregrinus sine commendatiis litteris sui Episcopi ad divina celebranda & Sacramenta administranda admittatur.

Ita fancivere Concilia permulta, Antiochenum cap. 7. Chalcedonense can. 13. Sardicense can. 8. Laodicenum can. 41. Aurelianense tertium, can. 15. Aquigranense can. 59. & 61. Tridentinum fess. 23. cap. 16. & Apostolorum c. 15. & 16.

Ex tit. de Canonici. Si non sit sufficiens redditus Canonici, provideat Episcopus sive per suppressionem prebendarum, ubi magnus erit earum numerus; sive per unionem beneficiorum simplicium non regularium, ut iis proventus competenter augeatur. Ita jam providerat Concil. Trid. fess. 14. c. 15. de reform.

Ex tit. de Rectoribus Ecclesiarum Parochialium. Scripsum est Matth. 15. Cæcus si cæco ducatur præter, ambo in foveam cadunt. Ideo absurdum est, cæcis cæcos duces præficere. Quapropter iis animarum cura committenda non est, qui mente cæci, suis affectibus præcipites per scelera voluntantur. Sed si sunt deligendi qui sibi ipsi imperare norint, quique doctrina & moribus præluceant.

Curent ut penitentia & aliis Sacramentis administrandis idonei Sacerdotes substituantur: confessionibus vero audiendis præficiant doctiores ad eum numerum, qui populo satis sit: & ad id eos cogant Episcopi, cum opus erit. Desumptus canon, ex Concil. Trid. fess. 21. cap. 4.

Cassianus, Notitia Ecclesiastica.